



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 59. Examen de libris Canonicis sacri Codicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LIX.

*Examen de libris Canonicis sacri
Codicis.*

Pallav. n. 5. Igitur primis duntaxat duabus quæstio-
nibus insudatum a Patribus, ac una-
nimi suffragio decretum, quod præpri-
mis omnes sacræ Paginae libri sint ap-
probandi: qua super re Marcellus Cer-
vinus Legatorum unus in particulari
prius, & postea in generali cœtu die vi-
gesima secunda Februarii habito proli-
xe differuit, hæc exponens: *Aliqui sa-
crarum literarum libri non ab hæreticis so-
lum, sed ab aliquo Catholicorum in dubium
vocantur: incompertum quidem est, unde-
nam hæc dubitatio exorta fuerit, sed verisi-
mile videtur, illam haustam ex hæreseos cloa-
cis, sedulo studentis tanquam falsa calum-
nari legitima testimonia, quibus falsitatem
suam redargui sentit: ad diserte autem com-
probanda ea volumina, quæ Canonica cen-
sent, invitantur Patres exemplo, & Cano-
ne postremo Apostolorum, ac Trullano Con-
cilio, in quo illorum pleraque recensentur, &
Laodiceno eadem plane connumerante, ac
tertio Carthaginensi, quod libros Judithæ,
Tobiæ, & Apocalypsis inter divinos agno-
scit. Consimilis etiam syllabus fuit conse-
ctus a SS. Athanasio & Gregorio Nazian-
zeno, a quarta Synodo Toletana, ab In-
no-*

nocentio ac Gelasio Romanis Pontificibus, ac Sæcul. XVI. A.C. 1546.
 denique a Concilio Florentino. Hæc sententia communi Patrum consensu fuit approbata, circa librum tamen Baruch levis quædam exorta est contentio, eo quod is in Canone Concilii Carthaginensis non reperiretur(*). Verum ad hæc respondit Cervinus, quod hæc Synodus Prophetam Baruch veluti Jeremiæ Amanuenssem censuerit, ac proin eundem sub Prophetæ hujus nomine comprehenderit, præcipue, cum aliunde Ecclesia semper hunc librum tanquam Canonicum receperit, atque in divinis laudibus lectiones in Sabbato sancto, ac Pentecostis vigilia recitari solitas ex illo desumpserit.

§. LX.

Contentio de sacrorum Librorum Canone sine examine approbando.

Gravius dubium movebatur circa *Pallav. l. c.*
 alterum articulum; quærebant n. 6.
 enim Patres, utrum sacri libri no- Raynald. hoc ann. n. 18. & seq.
 vo examini essent subjiciendi. Mon-
 tanus & Pachecus Cardinales quam-
 cun-

(*) Postremam hanc rationem a Paulo Suavi fuisse nequiter confictam observat Pallavicinus loc. cit. lib. 6. cap. 11. n. 14.